



# THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAVRENTIO BEYERLINCK,  
ARCHIPRESBYTERO ANTVERPIENSI,

Littera L.

\* Asterisci Titulis siue Generalibus, siue Secundariis, Rebusve sub iisdem contentis præfixi, posterioris Auctarij sunt indices.

\* L. LITTERA.

CVIVS REI NOTA OLIM?

**A** **Q**BSERVATIO Scaligeri est, L, olim notam fuisse kaudis. Ita ille *Comment. in Varronem*, ad verba, *Paumentaque L, faciunt*. L, inquit, nota est quam olim inferere solebant ad designandum locum laudabilem, quod patet ex *Commentario*, vbi L L, exponitur *Locus laudabilis*. Legatur *Robertus Tirus lib. 10. cap. 14.*

\* Labarum.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

**B** **L**abarum vox Græca est, & significat vexillum militare, cui appendebat paludamentum ex antennâ transversâ, quod candys veteribus appellatur. Præcedebat Imperatorē immediatē, & à militibus adorari moris erat. Nonnulli existimant ita dictum à labore, quod esset velut leuamen laborum, utpote milites quantumcunque fatigati existerent, & in acie laborarent, in vexillum hoc, ceu anchoram quandâ sacram oculis coniciebant, quod scirent Imperatorem ibi præsto esse, à quo omne præsidium & alacritas expectabatur. Alij vocem Persicam censent, à [Labar] quod est descendere: erat namque signum pensile, & Persarum ac Armenorum vsu Regibus præferebatur.

Tempore Tertulliani videtur ea vox cognita nondum fuisse. Constat autem Constantinum Imperatorem statim à cōuersione, Labarum formasse in signum Crucis. Ita de illo *Sozomenus lib. 5. hist. Ecclesiast.* Iussit viros eruditos ex auro & lapidibus pretiosis in vexillum Crucis transformare signum, & quod labarum vocabatur, τὸ πνεῦμα θεοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἀποστολῶν. Meminit quoque *Prudentius lib. 1. cont. Symmach.*

*Christus purpureum gemmantis textus in auro  
Signabat labarum.*

Manit autem Labarum ea forma vsque ad tempora Iuliani Apostatæ, qui amoto Christiano Echnicum labarum reposuit, in quo Lupus, Aquila, Minotaurus, aut simile animal exprimebatur.

L. B. Theat. vita Humana Tom. IV.

¶ Videat Lector de Labaro Constantini nonnulla in Loco de CRUCE.

¶ Item in Loco de VEXILLO.

\* Labor.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

**L**abor, Græcè ἔργον, est functio quædam vel animi vel corporis, grauioris operis & muneris. *Cic. lib. 2. Tusc. quest.* dicta quod membra faciat labare dissipatis inter agendum spiritibus vitalibus.

Labor, Hebr. *Iaghabha*, labor & res parva labore. *Job 20. 18. Iaghibbah*, defatigans hominem, defatigatio, fructus item laboris, *Psal. 128. 2. Esai. 55. 2. Iaghibba*, defatigatio laboriosa, labor molestus, *Ecl. 12. 14.* à verbo *Iaghabha*, laborauit: quod refertur potius ad animū, quam ad corpus: fatigatus est labore. Cognationem habet cum *Gaghab*, mugiuit, & *Naghab*, attingit: vnde *Neghab* plaga: itē cum *Ghahab* expirauit. Significat enim tanto affectu & labore adspirare ad rem aliquam attingendam, vt animus mugiat, & vix respirare possit. Hinc ἔργον, & ἀγχιον, laboro, tristitia afficio. 2. *batmal* verbum, id est, laborauit cum molestia & defatigatione: proprie significat durum exercere laborem, qui corpus & animam defatigare solet, vt olim in pistrinis mola: transferunt deinde ad alios duros labores. Hinc μῶλον labor, & μῶλον molo, μῶλον, μῶλον mola. Et dicuntur catenati labores, qui duri sunt, vrgentes, & ad iniucem conserui, & alij ex aliis nascentes.

LABORIS COMMODA,

ET FRVCTVS.

Labores & præclara facinorosa adeuntibus, & vita ipsa cum virtute coniuncta, iucunda est, mors nequaquam acerba, immortalem nominis sui gloriam relinquentibus. *Africanus lib. 5. hist.*

Non est viri timere sudorem, nec est vir fortis, nec strenuus qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate. *Senec. in epist.*

Omnes artes omniaque opera quotidiana vsu, & iugi exercitatione proficiunt: quod si in prauis verum est, quanto magis decet in maximis custodiri. *Veg. de re mil. 2.*

Vita humana proprie vti ferrum est: ferrum si exerceas, cōteritur, si non exerceas, tamē rubigo interficet: item, homines exercendo

V V u

exercendo

